



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Oculus, Hoc Est: Fvndamentvm Opticvm

Scheiner, Christoph

Freiburg i. B., 1621

Cap. I. Anatomiae ocularis necessitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71258](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71258)



LIBER PRIMVS

Constat partibus duabus, quibus ea pertractantur, quæ ad cognitionem sequentium necessario prærequiruntur. Parte igitur prima Oculi Anatomiam prosequimur, intra limites tamen Opticos restrictam; nam copiosa hæc seges, alia, longèq; acutiore falce demetenda esset, sed nos ad intentum nostrum, necessaria vix delibamus, ne aut Medicorum agros ingredi, aut physicorum campos inuolare videamur. parcent tamen, si per transennam ipsorum arua non ingreßi, sed obiter intuiti fuerimus.

Parte secunda experientias pro re nata adferimus: ut ex illis veritatem stabiliamus, refellamus errores. Vna enim vera experientia, Philosopho teste, plus valet, quam mille rationum subdolarum fallaces argutia.

PARS PRIMA.

QVÆ EST OCVLI ANATOME.

CAPVT I.

DE NECESSITATE INSPECTIONIS

Anatomicæ circa oculum.

Ræcognita ad institutum nostrum non tam sunt Phænomena, quàm experimenta singulari studio hausta, eaq; duplicis generis; altera ex oculi inspectione; altera è specierum à rebus aspectabilibus in oculum diffusarum consideratione desumpta. De ambobus nonnulla delibabimus.

Et oculi quidem inspectio Anatomica Optico pernecessaria est ideo, 1. ut intelligat utrum ex vnâ is eaque continuâ ma-

Necessitas inspectionis Anatomicæ.

A 2

teriâ

teriã componatur, an è pluribus solo attractu sibi coniunctis, quia modum & conditionem refractionis in oculo consuetæ hinc elicere debet, ut de mutuâ radiorum ad se conuersione, vel auersione rectè enunciare valeat. 2. Si plures partes sint, perspicuæne sint an opacæ. 3. Curuæ an planæ. 4. Densæ an raræ, idq; vni-formiter an diffõrmiter, æqualiter an inæqualiter. 5. Quæ partium cuiusq; magnitudo. 6. Quis situs. Ex his enim aut solis aut potissimis rectè intellectis, ratio anguli visorij deprehenditur, ignoratis perperam adstruitur.

Nam si quis oculum ex vnâ quadã substantia constituat, is certè in errores absurdissimos prolabetur. Si opacitatem aut perspicuitatem indebitam tribuat, in multis à verò deuiabit. Aliter etiam statuet, qui planis eũ superficiebus vestiet, aliter qui curuis; neque eadem euenient ab extremitate sphæricâ Crystallinum humorem circũdante, quæ fiunt ab Elliptica aut hyperbolicâ. Aliter etiam radius refringetur, si densitate partes differant, aliter, si conueniant. Sed & magnitudinis partium, situsq; immutatio momenti vel ad errorem, vel ad veritatem plurimum adferunt. ut ergò veritas ubiq; elucescat, in singula pauló accuratiùs est inquirendum.

DE PARTIBVS OCULI.

CAPVT. II.

Oculus animali ad videndum à Deo attributus munere suo perfungitur rerum videndarum præsentia potitus; res oculo præsentis fiunt radijs non ab eo in obiecta emissis, sed ab his in eundem admissis; quorum fluxus, quia secundum rectitudinem incedit, opus est res visibiles oculo aduersas stare, unde aut has coram ipso, aut hunc coram illis sisti oportet. Atque ex hoc factum est, ut totus oculus è duplici genere partium conflaretur, quarum aliæ specierum receptioni, aliæ motui ciendo deseruirent. Quod ut aptius eueniret, ille idem instar bulbi cepacei è caule, aut pruni promiué alicuius è stilo procrepantis, duobus nervis tanquàm pedunculis stilisue in cauernam suam prorepit. Quorum alter motui, alter visui instrumenta apta subministrat.

Nervus